

Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Superioribus diebus per alias nostras in forma litterarum vobis mandauimus, ut gabellam pizzicane istius terre nostre hactenus nunquam locari uendique consuetam et per uos uenditam, ex quo noua onera eiusmodi inconsulta sede apostolica imponi non possunt, tollere et reuocare deberetis; quod pecunias pro debitis uestris exalendis, cuius rei preteritu uenditionem predictam fecisse dicebamini, absque noui oneris impositione conquireretis, prout in eisdem litteris latius continetur; quibus tamen uobis presentatis et non obstantibus, uos uenditionem eiusdem gabellae non dum reuocastis freti, ut dixi, surreptione qua in obtinendis predictis litteris adhibitam pretenditis; quod scilicet in eis expressum non fuerat. Capitula pro uendenda dicta gabella per dilectum filium vicelegatum prouinciae confirmata fuisse; subindeque controversia super hoc inter uos et ipsos Pizzicarios suborta eundem vicelegatum ad uisitam istius profectum, partibus coram auditis decreuisse et declarasse uenditionem huiusmodi procedere persistereque debere, nisi in gnati uestris consilio alius modus uisus obtentusque fuisset ad soluenda aliorum debita uestra, quibus grauamini; et propositis in eodem consilio nonnullis alius modis, sigillatimque examinatis, nullum alium prorsus obtentum fuisse; quin et, ut accepimus, nuper in eodem gnati uestris consilio iterato decreuistis uenditionem gabellae huiusmodi sortiri suum omnino debere effectum in graue eorumdem Pizzicariorum praedictum; Nos igitur huiusmodi tum noua tum particularia et inaequalia onera non iniuria abhorrentes, dictorum Pizzicariorum supplicationibus inclinati, uobis sub excommunicationis et quingentorum ducatorum camere apostolice applicandorum penis, quas, nisi parueritis, uos incurere uolumus, eo ipso districtius mandamus, ut uis presentibus, uenditionem predictam reuocare seu nullius potius momenti fuisse et esse declaretis et publicetis, prout et nos decernimus et declaramus, praemis, ac iuramento desuper preestito, quod nos similiter relaxamus; ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Dat. Romae apud sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die. iij. Januarij. M.D.XIII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

76
In locis seu parochiis lesuis pape de am
venditionis p[er] hanc t[er]ra[m] p[er] vicarum
In quibus h[ab]et sub anno D[omi]ni 1514

Dilectis filiis Prioribus et c[on]g[reg]u[m] terre m[on]e
A quopendentis:~

